



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Gaudiorum terrenorum varietàs, ad æternùm duratura nos gaudia
inuitat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

deseruntur. At diuina, cælestia, at æterna, nullo tempore, nullo casu amittuntur; neque amitti queunt. Quamobrem sunt rebus his caducis infinites meliora atque optabiliora, vel hoc solo etiam capite, quia durabiliora.

Huic durationi accedit magnitudo bonorum, quæ inibi obtinget. Quantis enim spatijs cælum illud latè circumductum terrarum angustias superat; tanta excedit immensitate gaudium beatorum, huius mundi illecebras. Res, quæ hîc pariunt delectationem, non simul, sed sensim, & successiuè, nec sine interruptione, & plurimarum molestiarum admixtione, sua commoda adferunt; quorum cum alterum succedit, prius euanescit. At, in cælo, totum illud æternum bonum, electis promissum, electorû est, & ab electis in æternum totum simul possidetur. Nam *quamuis non fuerimus ab æterno, tamen possidentes Deum, fruemur in eo etiam æternitate; quatenus infinitis retro sæculis extitit, mète nos retrorsum, & antorsum extendentes; sicut & tota immensitate fruemur, in immensum illud pelagus nos immergentes, vnus enim erimus spiritus cum Deo. Sensum igitur & gustum habebimus diuinorum, sicut & ipse Deus habet, etsi dispari gradu.* Quis itaque ex hac terra morientium ad illam terram uiuentium nõn aspiret? Immò quis diuinam hîc prouidentiam non agnoscat, amet, prædicet, quæ si aliam nullam causam haberet (cum tamen habeat plurimas) tamen ob hanc solam benignissimè terras constringeret, concuteret, tot mortibus & miserijs repletet, ut eam nauſeare, ac deserere disceremus, atque ad meliorem, ex hoc exilio potius, quàm natali solo, patriam appetendam incitemur.

Cur hoc non faceremus Christiani? Ethnici fecerunt. Quorum vnum iuuat testem adducere, ne videamur neruos nimium intendere, dum terrenas & delicatas mentes, ad rerum vanarum, mundi que huius contemptum, & desideria cælestium inuitamus. Ita igitur Romanus sapiens loquitur. *Virtus, quam affectamus, magnifica est. non quia per se beatum est, malo caruisse, sed quia animum laxat, ac preparat ad cognitionem cælestium, dignumq; efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatum habet plenumq; bonum sortis humane, cum calcato omni malo, petit altum, & in interiorem naturæ sinum venit. Tunc iunat inter sidera*

IX.

Leonard.
Lect. lib. 4. de
diuin. Perf.
cap. 4.

X.

Senec. lib. 1.
Nat. qq. in
proœm.